

00 Red A 231  

---

6

Handwritten notes in pencil:  
Hust.  
C. 1.



l. 11  
XXIX.

DISPUTATIONUM HISTORICARUM

DE ROMANIS

ELECTIONE

ET INAUGURATIONE

ROMANI PONTIFICIS,

SECUNDA,

Quæ est

De confirmatione electionis à Summa Majestate

olim facta,

&

DEO TER. OPTIMO MAXIMO JUVANTE,

*Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ*

In Inclyta ALBERTINA Prussorum

*Publicè ventilabitur*

à

P R Æ S I D E

M. JOHANNES ERNESTO

GRABE,

R E S P O N D E N T E

MARTINO SILVESTRO GRABE,

Regiom. Pruss.

*In Auditorio Philosophorum*

Anno Christi M. DC. XCII. d. 12. Januarii.

---

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN. ELECT. BRAND.

ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.



ILLUSTRIS ACADEMIÆ REGIO-  
MONTANÆ  
MAGNIFICO  
DN. RECTORI,  
ET

*Maximè Reverendis, Consultissimis, Experientissimis,  
Excellentissimis, Amplissimis*

DOMINIS  
SENATORIBUS,

*Mecœnatibus, Patronis atque Præceptoribus  
submissò cultu prosequendis,*

NEC NON

*Nobilissimo, Spectatissimo atque Prudentissimo  
eorundem,*

DN. SECRETARIO,  
*Fautori honoratissimo,*

Hanc Exercitationem Academicam  
in sui studiorumque suorum commendationem  
devotâ mente

*Dat, dicat, consecra:*

MARTINUS SILVESTER GRABE.

§. XI. Odoacrum Herulorum Regem excepit Theodericus, primus Gothorum in Italia Rex: Cujus tempore cum Anastasius Romanæ sedis præsul diem suum obiisset, schisma exortum est inter Symmachum & Laurentium, qui ambo ordinationem susceperunt. *Quâ de causâ cedes, ac direptiones, & alia mala innumerabilia Romæ sunt perpetrata. Cumq; bujusmodi perturbatio tres continuos annos in urbe Roma durâset, Theodoricus Afer, qui tum Romæ regnabat, quamvis sectâ esset Arianus, collectâ tamen Episcoporum Synodò, Symmacho quidem Episcopatum urbis Romæ confirmavit, Laurentium verò cujusdam urbis, quæ Nuceria dicitur, Episcopum constituit, ait Theodorus Lector lib. II. Excerpt. Hist. Eccl. pag. 560. Similiter & Auctor libri Pontificalis in vita Symmachi Tom. II. Concil. p. 272. b. *Factâ, inquit, contentione hoc construxerunt partes, (vel uti Binius in Notis p. 274. a. corrigit, constituerunt Patres) ut ambo Ravennam pergerent ad iudicium Regis Theodorici, cujus auctoritate Symmachum sedem Romanam occupâsse, in sequentibus narrat. Conf. Sigebertus Gemblacensis ad A. C. 493. Wernerus Rolevvinck in Fascic. Temp. ad A. C. 494. Platina in vita Symmachi, & Sigonius lib. XVI. de Occid. Imperio p. 279. qui omnes Theodorico Regi schismatis compressionem adscribunt, eumq; Concilio, in quo Symmachus, repudiatò Laurentiò, confirmatus est, præsedisse testantur. Addunt quoque, quod cum post quadriennium schisma inter Symmachum & Laurentium recruidisset, Symmachus denuo à Theodorico & Synodo, ab eo congregata, confirmatus sit. Quomodo ejusdem Theodorici auctoritate Felix IV. Pontificiam dignitatem adeptus sit, discere est ex Cassiodori, Senatoris & Consilarii Theodorici, Lib. VIII. Ep. 15. quam recitat Baronius Tom. VII. Annal. ad A. 526. num. 23. Ad rem quoque nostram faciunt, quæ Platina habet in vita Silverii I. A. C. 536. Romanam sedem occupantis: *Silverius, inquit, Theodabato***

D

dabato



*dabato* (Gothorum Rege) jubente Pontifex creatur, cum antea non Regum, sed Imperatorum autoritas interveniret.

§. XII. Tejá, ultimo Ostrogothorum in Italia Rege, eorumq; Regnó simul extinctó, Justinianus Imperator Constantinopolitanus jus confirmandi Romani Pontificis, hactenus à Barbaris Regibus usurpatum, sibi vindicavit, adeò, ut noviter electo Papæ cathedram prius adscendere haud licuerit, donec ab Imperatore confirmationem, certâ pecuniæ summâ perfolutâ, recepisset. Cujus rei testem habemus Onuphrium Panvinium, hæc ad Platinæ Pelagium II. annotantem: *Gothis Italiâ omni per Narsem Patricium pulsis, eaq; cum urbe Roma Orientalis Imperii parte factâ, sub Justiniano Imp. ex auctoritate Papa Vigilii novus quidem in comitiis Pontificiis mos inolevit. Is fuit, ut mortuô Papâ nova quidem electio more majorum statim à Clero, Senatu Populoq; Rom. fieret, verum electus Romanus Pontifex non ante consecrari, atq; ab Episcopis ordinari posset, quam ejus electio ab Imperatore Constantinopolitano confirmata esset, ipseq; literis suis patentibus licentiam electo Pontifici concederet, ut ordinari & consecrari posset, atq; ita jurisdictionem Pontificatus obtineret. Pro qua licentia consequenda electo necesse erat certam pecuniæ quantitatem Imperatori transmittere. Quâ veniâ obtentâ, ipse postea consecratur, & Romanum administrabat Pontificatum. Antea enim idem dies comitiorum & consecrationis Pontificis renunciati erant.* Subjungit etiam causam renovati hujus moris, dum pergit: *Hoc autem ideo Justinianum Imp. vel ex ejus autoritate Vigilium Papam instituisse credendum est, ut Imperator certus esset de conditionibus novi Pontificis, cujus tum maxima auctoritas esse cœperat, Imperatoribus presertim Italiâ absentibus, ne aliquo Pontifice factiosô, vel Imperatoris hoste ordinatô, urbs & Italia eò auctore ab Orientali Imperio deficeret, seq; finitimis Barbaris traderet, quod Silverium Papam (Vigilii antecessorem) aliquando quassivisse*

<sup>23</sup>  
 sive sibi persuadebat. Quâ ratione fiebat, ut novis Comitibus eum  
 potissimum Romanum Pontificem crearent, quem Imperatori, à quo  
 confirmandus erat, amicum esse scirent, & de quo ille confideret,  
 nihil in Italia contra Imperium moliturum, Barbaris præsertim  
 Longobardis eam paulò post vexantibus. H. I. Idem Imperator  
 Justinianus, cum Vigilium Papam aliosque quosdam Clericos,  
 V. Synodi Oecumenicæ decretum de tribus capitulis contro-  
 versis recipere detrectantes, in exilium egisset, eosque ad instan-  
 tiam Clericorum Romanorum & Narsetis Ducis deinde revo-  
 casset, Clerum Romanum his allocutus est verbis: *Vultis reci-  
 pere Vigilium, ut fiat Papa vester? Gratias ago. Minusve? Hic  
 habetis Archi-Diaconum vestrum Pelagium, & manus mea erit vo-  
 biscum. Responderunt omnes: Imperet Deus pietati Tue. Restitue  
 nobis modò Vigilium, & quando eum Deus voluerit transire de hoc  
 seculo, tunc Vestrâ præceptione nobis donetur Pelagius Archi-Dia-  
 conus noster, uti legimus apud Anastasium in vita Vigilii Tom. II.  
 Concil. p. 479. a.* Ad quæ verba acris atq; severa Severini Bini  
 censura ita sonat: *Justinianus hoc locò sacrilegè confirmationem  
 & abrogationem Romani Pontificis usurpat, quantâ verò totius  
 Imperii jacturâ, infra patebit. Dolendum est, quod Clerus Roma-  
 nus populo Vigilium poscenti promiserit, post obitum Vigilii non  
 alium susceptum iri Pontificem, quàm quem Imperator præsentâs-  
 set: Cum eâ ratione ducta sit in captivitatem Domina Gentium,  
 & Regina Provinciarum facta fuerit sub tributo. Satis immo-  
 destè etiam in Imperatorem non minus, ac Clerum Romanum  
 invehitur Baronius Tom. VII. A. 554. num. 2. Justinianum eò  
 ipsò maximè impium sese præstitisse affirmans, quem tamen alibi,  
 præsertim ad A. 527. ob eximiam pietatem & egregias dotes im-  
 mensis ornat laudibus.*

§. XIII. Justiniani quoque successor, Justinus II. junior, jus  
 istud confirmandi Pontificem Romanum acerrimè est prosecu-

tus. Nam cum Pelagius II. Papa ordinatus esset, non impetratâ prius Imperatoris Constantinopolitani confirmatione, quod extra obsessam à Longobardis urbem Legati ad eum mitti non potuerint, Imperator irâ exarsit, id crimen læsæ Majestatis interpretatus. *Nil enim, inquit Platina in Pelagio, II. tum à Clero in eligendo Pontifice actum erat, nisi ejus electionem Imperator approbasset.* Missus itaque est Constantinopolin Gregorius, tunc Diaconus, Pelagii postea successor, ut excusationem dictam prætenderet, Cæsaris iram hac ratione placaturus, teste non modò Platinâ l. c., sed & Nauclerô Vol. II. Gener. XX. pag. 566. Agnovit hanc in Imperatoribus Constantinopolitanis potestatem ipse modò laudatus Gregorius M., ultimus Sec. VI. Papa, qui oblatam sibi à Clero & Populo Romano dignitatem Pontificiam declinaturus, ad Mauritium Imperatorem scripsit, & ne ipsius electionem confirmaret, obnixè rogavit, teste Johanne Diacono in vita Gregorii lib. I. cap. 39, & seq. Sed res aliter cecidit. *Interceptæ enim sunt literæ à Prefecto urbis, utor verbis Platinæ in Gregorio I., ac discerptæ, scriptæq; aliæ, quibus rogabatur, ut quem populus ac Clerus in Pontificem legisset, eundem Imperator confirmaret.* -- *Remittit itaq; Mauritius nuncios, ac quidem properè, qui Gregorium confirmarent, cogerentq; hominem sanctissimum, Pontificatûs gubernacula in tanta perturbatione rerum suscipere.* Hinc ipse Gregorius lib. I. Epist. 5. in fine, se ex jussione Imperatoris sedem Romanam accepisse scribit. Porro Sec. VII. Severinus sive Zephyrinus II. itidem à potestate seculari confirmatus esse legitur apud Platinam, qui in vita ejus: *Severinus, inquit, patriâ Romanus, patre Labienô, in demortui Honorii locum subrogatus, ab Isaatio totius Italiae Exarcho in Pontificatu confirmatur. Vana enim tunc habebatur Cleri ac populi electio, nisi eam Imperatores, aut eorum Exarchi confirmassent.*

§. XIV. Verùm decurrente istò Sec. VII. de hoc jure Impera-

pera-



25

peratorio per gradus recessit Constantinus Pogonatus. Nam primò quidem in Concilio VI. Oecumenico istam argenti summam, quam recens electi Episcopi Romani solvere hæctenus tenebantur, Johanni Portuensi, Agathonis Papæ Legato, remisit, salvò tamen ipsò electionis sive confirmationis jure. Qua de re Anastasius in libro Pontificali Tom. III. Concil. Part. I. p. 2. a. ita scribit: *Hic (Johannes Portuensis) suscepit Divalem jussionem secundum suam postulationem, ut suggessit, per quam relevata est quantitas, quæ solita erat dari pro ordinatione Pontificis faciendæ: Sic tamen, ut si contigerit, post ejus transitum electionem fieri, non debeat ordinari, qui electus fuerit, nisi prius decretum generale introducatur in Regiam urbem secundum antiquam consuetudinem, & cum eorum (Imperatorum) conscientia & jussione debeat ordinariè provenire.* Citantur hæc verba paulisper immutata in Corp. Canon. Distinct. XIII. Cap. Agatho. Deinde Benedictus II. A. 684. Romanæ sedis Præsul creatus, ab eodem Constantino Imperatore, cujus singularem iniverat gratiam, tale impetravit decretum, *ut deinceps, quem Clerus, populus exercitusq. Romanus in Pontificem delegisset, eundem statim verum Christianicum esse omnes crederent, nullâ aut Constantinopolitani Principis, aut Italiae Exarchi expectatâ auctoritate, ut antea fieri consueverat,* prouti illud transcripsit Platina in vita Benedicti. Conf. Anastasius Tom. III. Concil. Part. I. p. 127. b. Blondus lib. IX. Decad. I. p. 132. Sabellicus VIII. Ennead. lib. VI. col. 547. Sed hoc non diu observatum fuisse, rectè scribit Volaterranus lib. XXII. Anthropol. p. 251. b. Nam Conon Benedicti II. post Johannem V. successor à Theodoro Exarcho confirmatus est, teste Platina in vita Cononis, & Anastasio Tom. III. Concil. Part. I. p. 132. b. Unde Binius in Not. ad h. l. non abs re suspicatur, Justinianum II., Constantini filium, cessionem Patris revocasse, & mandatum dedisse, ne Pontifex sine Exarchi consensu crearetur.

tur. Porro cum Cononis successor Sergius I. ultimus, juxta alios penultimus, Sec. VIII. Papa concordibus Cleri populique suffragiis in Pontificem electus esset, repudiatio non solum Theodoro, sed & Paschali Archi Diacono; hic Paschalis Ravennam ad Johannem Platinam Exarchum nuntios misit, eumque donis sollicitavit, ut Romam ipse veniens Sergii electionem irritam pronuntiaret, uti rursus à modo citatis Auctoribus in vita Sergii memoriae proditum est. Id verò non fecisset Paschalis, nisi in Exarchi potestate fuisset, Pontificum Romanorum electiones nomine Imperatoris vel confirmare, vel infirmare.

§. XV. Sec. VIII. vires Exarchorum in Italia attenuatae, contra Pontificum Romanorum aucta sunt, utpote qui sese in Orientalium Imperatorum absentiam extollere, & istos Imperio Occidentis penitus excludere sategerunt. Praesertim Gregorius III. *ubi Pontificatum iniit, Cleri Romani consensu Leonem III. Imperatorem Constantinopolitanum Imperio simul & communione fidelium privavit, quod sanctas imagines è sacris adibus abrasisset, & statuas demolitus esset,* uti Platina in vita Gregorii III. loquitur. *Fecit recedere totam Italiam à potestate Leonis Augusti, haeresiarcho ob depositionem imaginum,* ait Martinus Polonus p. 294. Extincto itaque in Occidente Orientalium Caesarum Imperio, sub finem hujus seculi Carolus M. Francorum Rex, ab Hadriano contra Longobardos evocatus, in Italiam advenit, ac Desiderio Longobardorum Rege captò, iisque pulsis, rerum summam ibi positus, Sacratissimi Imperii Romano-Germanici conditor extitit. Iste jus, quod in Pontificum Romanorum electionibus Italiae Reges & Imperatores Constantinopolitani prioribus seculis exercuerant, a se ultimò Interregno neglectum erat, renovatum & recognitum ab Hadriano Papa accepit, teste non modò Martino Polono pag. 305. Onuphrio Panvino in Notis ad Platinæ Pelagium II. ac Aven. inò lib. IV. Annal. Bojorum pag. 188. sed & ipsò

27

ipsō Gratianō, qui in cōpilatione Decreti hęc notavit Dist. LXIII. cap. 22. *Hadrianus Papa Romam venire Carolum Regem ad defendendas res Ecclesie postulavit. Carolus verò Romam veniens, Papiam obsedit: ibiq; relictò exercitu, in sancta resurrectione ab Hadriano Papa Rome honorificè susceptus est. Post sanctam verò resurrectionem reversus Papiam, cepit Desiderium Regem: Deinde Romam reversus, constituit ibi Synodum cum Hadriano Papa in Patriarchio Lateranensi, in Ecclesia Sancti Salvatoris: qua Synodus celebrata est à 153. Episcopis religiosis & Abbatibus. Hadrianus autem Papa cum universa Synodo tradiderunt Carolo ius & potestatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apostolicam sedem. Dignitatem quoq; Patriarchatus ei concesserunt. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas Provincias ab eo investituram accipere diffinivit: & ut nisi à Rege laudetur & investiatur, Episcopus à nemine consecretur: Et quicumq; contra hoc decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, & nisi respiceret, bona ejus publicari precepit. Conf. Goldastus Tom. I. Constitut. Imperial. p. 16. seq. ubi idem recitat decretum, cujus Bullam Parisiis inter præcipuos regni thesauros asservatam fuisse, Glossæ & Benedicti fide tradit Augustinus Barbossa in hunc Gratiani textum commentans. Cæterum citat Gratianus in titulo allegati capituli *Historiam Ecclesiasticam* ex quâ ista desumpserit. Per hanc Sigeberti Gemblacensis Chronographiam intelligi vult Baronius Tom. IX. Annal. ad A. C. 774. num. 10. seqq., cum in illius sine citata à Gratiano verba legantur. Quapropter modo laudatum Sigebertum ad rigidam vocat quæstionem, eumq; sceleris, imposturæ & fraudis reum facit, quasi ille omnia ista in gratiam Henrici V. Imperatoris, de jure suo in Episcopatibus & Abbatibus conferendis cum Papa contendenti, dolò malò primus confinxerit, destitutus omnium veterum ejus ævi Historicorum testimonio. Verum grandis est ista Baronii *discrepantia* cui*

cui tria Auctorum Sigeberto antiquiorum testimonia oppono. Primum est Anastasii Bibliothecarii, aut alius, qui librum Pontificalem composuit, Scriptoris, quem hujus ab Hadriano concessæ Carolo potestatis testem citat Platina in vita Paschalis I. Equidem in moderno, quò utimur, libri Pontificalis exemplari nulla ejus rei extat mentio; sed procul dubio mutilatus est hac in parte liber Pontificalis, sicut & alibi eum detruncatum esse, aliquot exemplis probat Salmasius in Eucharist. ad Sirmond. p. 464. & 664. Secundus testis Baronium confundens est Leo VIII. Sec. X. Papa. Is enim in decreto quodam, quod ex Theodorico à Niem integrum recitat Goldastus Tom. I. Constit. Imperial. p. 221. seq., & nos infra §. XIX, ex Corp. Canon. descriptum dabimus, hæc inter alia habet verba: *Idem Sanctus vir (Hadrianus) Sanctam Synodum congregavit, & in presentia omnium, eorumq; auctoritate, Domino Carolo Inviectissimo Regi Francorum & Longobardorum ac Patricio Romano, suisq; successoribus Regnum Italiae, Patriciatûs dignitatem, ac Sedis Apostolicæ ordinationem concessit, insuper & Episcopatum investituras, velut ipsi cum discretione & reverentia libitum fuerit.* H. I. Non ignoro, Baronium Leonis VIII. constitutionem falsi arguere, sed facit id nullò firmò argumentò, uti bene judicat Petrus de Marca lib. VIII. de concordia Sacerdotii & Imperii cap. 12. num. 10. eam extra dubium ponens. Tertium testimonium peti potest ex Oratione Gregorii VI. Papæ sub medium Sec. XI., quæ integra extat apud Wilhelmum Malmesburiensem lib. II. de rebus gestis Regum Anglorum cap. 13., ubi memoratæ constitutionis Hadriani expressa fit mentio. Omnes isti adducti testes Sigeberto, qui sub initium Sec. XII. floruit, antiquiores apertè evincunt, eum malè à Baronio doli falsi, quò primus ista confinxerit, argui, ipsumque potius Cardinalem falsum esse demonstrant. Neque argumenta, quæ Baronius contra Sigebertum & recita-

tum

tum ab ipso Hadriani decretum affert, adeò exquisita sunt, ut quilibet *sincerus veritatis inspector imposturam à Sigeberto commissam* ex iis intelligere possit, quemadmodum gloriatur Baronius l.c. Contrarium datâ in conflictu occasione patebit, cui etiam adductas à Petro de Marca l.c. rationes contra Sigebertum & memoratam ab ipso Hadriani Synodum reservo.

§. XVI. Carolo M. in Imperio successit filius Ludovicus, Hadriano Papæ verò post Leonem III. & Stephanum V. (al. IV.) Paschalis I., A. 817. ad Papalem dignitatem evectus, de cuius electione Platina in vitâ ejus hæc habet verba: *Paschalis, patriâ Romanus, patre Bonosò, nullâ interpositâ Imperatoris auctoritate Pontifex creatur: Hanc ob rem ubi Pontificatum iniit, statim Legatos ad Ludovicum misit, qui ejus rei culpam omnem in Clerum & populum rejicerent, quod ab his vi coactus esset, Pontificium munus obire. Acceptâ hac satisfactione Ludovicus respondit populo & Clero, majorum instituta & pacta servanda esse: caderent, ne deinceps Majestatem laderent.* Conf. Auctor vitæ Ludovici Pii à Pithœo inter XII. Scriptores Historiæ Francorum editus p. 367. Simoneta lib. V. cap. 4., Hugvvaldus Mutius lib. X. Germ. Chronic. Tom. II. Scriptorum Pistorii p. 73. & Aventinus lib. IV. pag. 224. cujus verba hæc sunt: *Stephanus IV. primarius urbis Romæ Sacerdos moritur: Paschalis I. succedit. Qui missis Legatis ad Pium cum munere & epistola, se confirmari petit. Nam Pontificem antea populus Romanus creabat, Augustus auctor fiebat: illum nunc flamines lege à se lata, cæteris seclusis, sufficiunt.* Quomodo idem Ludovicus schismate in Eugenii II. electione oborto, auctoritatem suam interposuerit, legemque in electionibus Romanorum Pontificum observandam tulerit, supra §. IV. dictum est. Porro Gregorius IV. Eugenii II. post Valentinum successor, non prius Pontificium munus obire voluit, quàm à Legatis Ludovicæ Imperatoris ob eam causam Romam missis, qui diligenter

*genter tantam electionem discusserant, confirmatus esset, uti Platina scribit in vita Gregorii IV., causam istius facti hisce verbis subjungens: Fecerat id Ludovicus, non superbiâ motus, sed ne jura Imperii amitteret. Consentunt Volaterranus lib. XXII. pag. 503., Aventinus lib. IV. Annal. Boj. pag. 229., itemque Annales Bertiniani, (citante Blondello in Apologiâ pro sententia Hieronymi de Episcopis & Presbyteris pag. 449.) juxta quos non prius ordinatus est Gregorius, quam Legatus Imperatoris Romam venit, & electionem populi, qualis esset, examinavit. Ast iis, quæ hæcenus de Ludovico dicta, & probatorum Historicorum testimoniis confirmata sunt, obstare videtur constitutio ejusdem Ludovici, quam integram ex monumentis Vaticanis, & quidem factâ quatuor exemplarium collatione, recitat Baronius Tom. IX. Annal. ad A. 817. num. 10. seqq., cujusque particulam libro Decretorum inseruit Gratianus Distinct. LXIII. Cap. Ego Ludovicus, ubi hæc inter alia leguntur verba: Quando Divinâ vocatione hujus Sacratissimæ sedis Pontifex de hoc mundo migraverit, nullus ex Regno nostro, aut Francus, aut Longobardus, aut de qualibet gente homo sub nostra potestate constitutus, licentiam habeat contra Romanos aut publice, aut privatim veniendi, aut electionem faciendi, nullusq; in civitatibus aut in territoriis, ad Ecclesiæ B. Petri Apostoli potestatem pertinentibus, aliquod malum propter hoc facere præsumat: Sed liceat Romanis cum omni veneratione, & sine qualibet perturbatione honorificam suo Pontifici exhibere sepulturam, & eum, quem Divinâ inspiratione, & B. Petri intercessione, omnes Romani unô consilio atque concordia sine qualibet promissione ad Pontificatus ordinem elegerint, sine aliqua ambiguitate vel contradictione more Canonico consecrare, & dum consecratus fuerit, Legati ad nos, vel ad nostros successores, Reges Francorum, dirigantur, qui inter nos & illum amicitiam, & charitatem ac pacem faciant. Ex quibus verbis Pontificii colligunt, Ludo-*

31

Ludovicum jure confirmandi Romanum Pontificem cessisse, eumque sine assensu Imperatoris eligendum atque consecrandum permisisse. Verum si recitata constitutio hunc necessario haberet sensum, eam commentitiam atque confictam esse patet, quoniam directe rebus gestis Ludovici repugnat: In cuius rei argumentum adduci potest diversitas exemplarium, cum ex eadem Bibliotheca Vaticana aliud instrumentum à Baroniano haud parum discrepans alleget Volaterranus lib. III. Geograph. pag. 21. a. Neque insolitum fuit Gratiano, ex suppositiis Patrum & Decretorum monumentis aliqua citare, ut plurimis probari potest exemplis. Sed sunt, qui decretum Ludovici commodâ interpretatione juvare conantur, ne pro suppositio habeatur: Ludovicus, inquiunt, non vult exclusam esse Imperatoris confirmationem; seditiones, quas exteri in electionibus Paparum movere solebant, itemque Simoniam abesse cupit, & ritè electum Pontificem *sine aliqua ambiguitate & contradictione more Canonico consecrari jubet*. Non dicit, sine mora aut expectatione Imperialis decreti: imo potius dum *more Canonico* eum consecrari vult, Imperatoris assensum atque confirmationem, qualem Canonicae leges atque pacta majorum requirebant, includit. Quod verò Ludovicus Legatos post ordinationem à Papa ad se mitti postulat, pacis atq; amicitiae conciliandae causâ, eò ipso non remittit aut excludit missionem Legatorum ante ordinationem, quae à Clero & populo Romano ad impetrandam electionis confirmationem, vel ab Imperatore ad dandam eam fieri haecenus solebat. Unde concludunt, Ludovicum jure Pontificem Romanum confirmandi non cessisse, sed potius sollicitè id conservasse, uti Platinam supra dicentem audivimus.

§. XVII. Ludovici I. thronum filius Lotharius, Gregorii IV. Pontificis, supra laudati, sedem occupavit Sergius II., ad cuius ele-

*ctionem confirmandam Ludovicus, filius Imperatoris Lotbarii, à Patre missus est, teste Sigeberto Gemblacensi ad A.C. 844. Porro A. 855. cum Clerus populusque Romanus Benedictum III. Pontificem elegissent, decretum electionis composuerunt, & consuetudo prisca ut poscit, Invidiosissimis Lotbario ac Ludovico (II. hujus nominis) Augustis destinaverunt, sive miserunt, ait Auctor libri Pontificalis Tom. III, Concil. Part. I. p. 658. b., nullum alium in finem, quàm ut decreti illius confirmationem ab iis reciperent, Unde Legati Romã missi sunt, qui initiò quidẽ Anastasio Anti Papæ faverunt, sed postea concordiam Cleri populiq; Romani poscentis Benedictum cernentes, istò repudiato, hunc confirmarunt hisce verbis: *Accipite vestrum electum, & in quam vultis basilicam eum deducite.* Et modò: *Anastasium, quem depositum dicitis, ab hoc Patriarchio ejicimus,* uti ulterius legimus in libro Pontificali cit. Tom. III, Concil. I. c. p. 660. a. Quò factò Benedictus *in presentia Legatorum* ordinatus est, teste post Auctorem libri Pontificalis Sigoniò lib. V, de Regno Italiæ pag. 124. Sic etiam Benedicti III, successor *Nicolaus I. presentia magis ac favore Ludovici Regis & procerum ejus, quam Cleri electione substitutus est,* uti memoriæ proditum legitur in Annalibus Bertinianis, quos hanc in rem allegat Blondellus I, c. pag. 451. Anastasius quoque in libro Pontificali Tom. III, Concil. Part. I. p. 665. a. eum *presente Cesare consecratum esse* testatur. Porro cum in electione Hadriani II., proximi à Nicolao Papæ, non habita esset ratio Legatorum Imperatoris, *hanc ob rem Ludovici Legati, qui ejus rei causa aderant, indignati, quod nusquam (ut par erat) dum hac agerentur, interesse potuissent, & auctoritatem Imperatoris in creando Pontifice interponere.* Legatis autem hac ratione *satisfactum est, quod dicerent, multitudinis voluntatem in tanto tumultu moderari non potuisse, eos tamen rectè facturos, si virum optimum, quem & Clerus & populus elegerat,**



gerat, de more Pontificem salutarent. Facere id Legati, quanquam aperte cernerent, Clerum & populum eligendi Pontificis totam auctoritatem sibi vendicare, ne deinceps Principis cujuscumque nutus expectaretur: forte etiam, ut libertas Ecclesiastica tum inolesceret, sunt verba Platinae notatu digna in vita Hadriani II. Quibus gemina sunt, quæ habet Anastasii continuator Guilielmus in ejusdem Hadriani vita Tom. III. Concil. Part. II. p. 829. b. Nihilominus Ludovicus II. Imperator hanc rem haud ægrè tulit, aut animadvertit, cujus eapropter moderationem laudat Platina l. c. Conf. Sigonius lib. V. de Regno Italiae p. 129.

§. XVIII. Tandem A. C. 884. Hadrianus III. de electione Pontificis decrevit, ne in ipso creando Imperatoris auctoritas expectaretur, idque ideo, ut Cleri & populi libera essent suffragia, ceu memoriae proditum est à Guilielmo in vita Hadriani Tom. III. Concil. p. 1017. b. Conf. Platina in vita Hadriani III. & Simoneta lib. V. cap. 15. qui tale quid jam à Nicolao I. attentatum esse scribunt. Sigonius lib. V. de Regno Italiae p. 138. decretum Hadriani his conceptum dedit verbis: *Ut Pontifex designatus consecrari sine presentia Regis aut Legatorum ejus posset.* Occasionem quoque, quâ illectus Hadrianus talem constitutionem in Cæsareæ Majestatis præjudicium ediderit, notant Platina & Sigonius ll. cc. nempe Caroli Crassi Imperatoris absentiam, qui ex Italia cum exercitu discedens contra Normannos moverat. Ast isti Hadriani decreto in fine Sec. IX. aut initio sequentis X. obrogatum est à Johanne IX. Pontifice, qui in Synodo septuaginta quatuor Episcoporum, statuit, ne Pontifices designatos, nisi in conspectu Legatorum Regionum, jus esset consecrare, teste Sigonio lib. VI. de Regno Italiae p. 144. Verba istius Synodi c. 10. ex Codice quodam descripta legere est apud Baronium Tom. X. Annal. ad A. C. 904. num. 13. hujus tenoris: *Quia Sancta Romana Ecclesia, cui Deo onctore presidemus, plurimas patie*

tur violentias, Pontifice obeunte: quæ ob hoc inferuntur, quia absque Imperatoris notitia, & suorum Legatorum presentia, Pontificis fit consecratio, nec Canonico ritu & consuetudine ab Imperatore directi intersunt Nuntii, qui violentiam & scandala in ejus consecratione non permittant fieri: Volumus, id ut deinceps abdicetur, & constituendus Pontifex, convenientibus Episcopis & universò Clerò, eligatur, expetente Senatu, & populò qui ordinandus est, sic in conspectu omnium celeberrimè electus ab omnibus, presentibus Legatus Imperialibus consecretur. Nullusq; sine periculo juramentum vel promissiones aliquas nova adinventione ab eo audeat extorquere, nisi quæ antiqua exigit consuetudo, ne Ecclesia scandalizetur, vel Imperatoris honorificentia minuatur. Eadem habentur apud Gratianum Distinct. LXIII. cap. XXVIII., in cujus inscriptione tamen non Johanni IX., sed Stephano Papæ ista tribuuntur. Verùm statim neglecta est hæc Synodi istius Romanæ constitutio in ipsius Benedicti IV., qui Johanni IX. succedebat, electione, utpote quem Tusculanorum factio contra legem sine autoritate Regia consecravit, teste Sigoniò lib. VI. de Regno Italiae pag. 148. Sic etiam in sequentium hujus Seculi Paparum electionibus altum de Imperatoris confirmatione apud Scriptores silentium. Erant enim tunc temporis Romæ omnia factionibus plena, quæ sese in Pontificum electionibus quàm maximè exerebant: Unde summa imis mixta, veteresque in eligendo summo Pontifice consuetudines neglectæ erant, & pristinus usus prorsus extinctus. Conf. supra §. V.

§. XIX. Duravit perturbatus iste status usq; ad LXIII. hujus seculi annum, quò Otho I. Imperator jus Cæsareum in confirmandis Papis renovavit, qua de re jam supra §. VI. quædam dicta sunt, nunc ex citatis ibi Auctoribus distinctiùs enarranda. Scilicet cum Johannes XII. omnium ferè Pontificum deterrimus, unà cum aliis Tyrannis Romanos valdè vexaret, & capropter  
Otho

35

Otho I. à duobus Cardinalibus invitatus, semel atq; iterum Romam venisset, Cives Romani eum non solum honorificè susceperunt, sed & sacramentò confirmârunt, *nunquam se Papam electuros aut ordinaturos, prater consensum atq; electionem Domini Imperatoris Othonis Casaris Augusti, filiiq; ipsius Regis Othonis*, uti scribit Luitprandus lib. VI. de rebus gestis Imperatorum atq; Regum c. 6. pag. 115. Otho Joannem primò blandis quidem verbis ad meliora convertere sategit, sed iis nihil proficiens, ad instantiam Cleri populiq; Romani Synodum Episcoporū Italiæ convocavit, eorum qua judicium in causa Joannis fieret. In isto Concilio cum atrocitas in Johannem crimina dicta essent, & Johannes aufugiens ad purgandum se sistere nollet, conscientiam scelerum deterritus; omnis Clerus atq; populus Imperatorem rogarunt, *ut monstrum istud nullâ virtute redemptum à vitis, à Sancta Romana Ecclesia pelleret, aliumq; loco ejus constitueret*, juxta Luitprandum l. c. c. 10. *Hanc ob rem Otho Leonem Romanum civem, Lateranensis Ecclesie scribarium Pontificem creavit, ait Platina in Johanne XIII. vel ut in Leone VIII. scribit, à Clero & populo Romano electum confirmavit.* Nihilominus quidam deposito Johanni cognatione atque factione conjuncti, ægrè ferentes, Leonem ab Ottone Johanni antelatum esse, Benedictum creant. *Verum cum Imperator hanc electionem nequaquam probaret, Romanos id maxime expectantes à se repulit, eosq; ferro & flammâ omnia circa urbem posita vastans compulit, pulso Benedicto, vel dedito potius, Leonem suscipere, adactos Sacramento, nihil se earum rerum immuturos, quas ipse Imperator in re Pontificia constitueret, teste his ipsis verbis Platinâ in Benedicto V. & Nauclero Vol. II. Gener 33. p. 670. Conf. Sigebertus Gemblacensis ad A. 963. p. 584. & Luitprandus, vel quisquis est Auctor, lib. VI. c. II.* Sic Otto auctoritatem Imperatoriam in electionibus Pontificum Romanorum hætenus spretam atq; neglectam

glectam revocavit, & Cleri populiq̄ue Romani sacramentō confirmatam recepit. Ipse quoq̄; Leo VIII. Papa hoc in electione sive confirmatione Papparum usurpatum Imperatoris jus Synodali approbavit decretō, quod Distinct, LXIII. cap. 23. his consignatum legitur verbis: *In Synodo congregata Roma in Ecclesia Sancti Salvatoris. Ad exemplum B. Hadriani Apostolicae sedis Antistitis, qui Domino Carolo, Victoriosissimo Regi Francorum & Longobardorum, Patriciatūs dignitatem, ac ordinationem Apostolicae sedis, & investituram Episcoporum concessit: Ego quoq̄; Leo Episcopus, servus servorum Dei, cum toto Clero ac Romano populo constituimus, & confirmamus, & corroboramus, & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus atq̄; largimur Domino Othoni primo, Regi Teutonicorum, ejusq̄; successoribus hujus Regni Italia, in perpetuam facultatem eligendi successorem, atq̄; summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hos Archi-Episcopos seu Episcopos, ut ipsi ab eo investituram accipiant, & consecrationem, unde debent: Exceptis his, quos Imperator Pontificibus & Archi-Episcopis concessit: Et ut nemo deinceps cujusq̄; dignitatis, vel religiositatis, eligendi vel Patricium, vel Pontificem summæ sedis Apostolicæ, aut quemcunq̄; Episcopum ordinandi habeat facultatem, absq̄; consensu ipsius Imperatoris (quod tamen fiat absq̄; omni pecunia) & ut ipse Patricius sit & Rex. Quodsi à Clero & populo quis eligatur Episcopus, nisi à supra dicto Rege laudetur, & investiatur, non consecratur. Si quis contra hanc regulam & Apostolicam auctoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subjacere decernimus: & nisi resipuerit, irrevocabili exiliō puniri, vel ultimis suppliciis affici. Neque turpis Leonem assentatio ad tale decretum edendum, sed gravissimæ moverunt rationes, quas refert Sigonius lib. VII. de Regno Italiae pag. 169.*

§. XX. Defunctō Leone VIII. laudata ejus constitutio in novi Papæ electione servata est. Nam Legati Romanorum, Azō videlicet Protoscriniarius, & Marinus Sutriensis Ecclesie Episcopus,  
Imo.

154071

AB: 154071

ULB Halle 3  
 003 902 811





82

1078

Vb 17







l.

11

XXIX.

DISPUTATIONUM HISTORICARUM

DE IOM

# ELECTIONE

## ET INAUGURATIONE

ROMANI PONTIFICIS,

SECUNDA,

Quæ est

De confirmatione electionis à Summa Majestate

olim facta,

&

DEO TER OPTIMO MAXIMO JUVANTE,

*Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ*

In Inclÿta ALBERTINA Prussorum

*Publicè ventilabitur*

à

PRÆSIDE

M. JOHANNES ERNESTO

GRABE,

RESPONDENTE

MARTINO SILVESTRO GRABE,

Regiom. Pruss.

*In Auditorio Philosophorum*

Anno Christi M. DC. XCII. d. 12. Januarii.

REGIOMONTI,

Typis FRIDERICI REUSNERI, SEREN. ELECT. BRAND.

ET ACAD. TYPOGR. HÆREDUM.